

IOANNES BEEZ CARMELITA.



Ioannes ille Theutonicus ordinem fratrum Marianorum semper uirginis de monte Carmeli pietatis ergo assumpsit, ut commodius libris incumbere, atque maiorem eruditionem nascisci posset. Hinc factum ut inter eius ordinis homines doctissimus fuerit habitus. Erat enim Philosophus & Theologus excellens, ingenio acer, disputator egregius, atque mirabili eloquentia in habendis concionibus preditus. Propterea etiam apud omnes finitos principes in magna autoritate fuit. Scripsit is in Epistolam ad Romanos librum unum, & in Legem Mosaicam lib. decem. præterea de sacramento altaris, & de uarijs quæstionibus. Tandem decimotexto Calend. Augusti in conuentu suo Tenensi anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto uiam uniuersæ carnis ingressus est, Sixto quarto pontifice, & Friderico tertio Imperatore existente.